

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 86. (Neovidensis 1808. Nro. 85.)

*Secretum litterarum Commercium inter Vivos
et vita functos*

Elysium-Meum.-Die Veneris 4. Nov. 1808. (Neov. 18. Oct. 1808.)

Quidam rusticus Cincinnato (Luc. Quinctio) in
Elysió

Ex mundo superiore,

Juvenis adhuc in novis, vel libro, aut quodam Calendario legi, Perillustris, aut Spectabilis Domine Cincinnate (sit venia, si in titulo aberrare contigisset) quemdam Perill. aut Spectabilem Dominum non procul Roma vixisse, qui strictissime rusticam vitam agendo, rusticus fuerit; ex hoc ab aratro Imperator belli, & Dictator (istud huic rei nomen tribuunt eruditi, Romanæ Reipublicæ nominatus. Hæc res mihi perpetua hæsit memoria, nec parum superbiam cogitatione vel rusticum imperare bello, & regere posse. Multus hic status nostri honor est, (tantum ceremoniæ absint)

Hodie venit in mentem, ut rustici fert ingenium, Cincinnato humillime, uti oportet rusticum, scribere, eique meas querelas, sensaque animi præsentium temporum pingere. Hæc mihi scribendi causa fuit; tantum nihil rustico male vertere dignetur Spectab. Domine Cincinnate!

Anne vestræ quoque res, Domine aratri Collega! tales erant uti nostræ, ut rusticus belli tempore nimis prematur? Animus fort septem ærumnas, quibus vel ipsi nos, vel nostri vicini afflicti, tibi promendit. Deus mihi propitius sit! Diabolus deinceps rusticam vitam agat! Ante 16, aut 18 annos circiter exstiteret quidam magni Domini, qui bello se implicuerunt. Illico Judæi & alii sic dicti Commissarii, ubique frumentum, fœnum, & alias vitæ indigentias coëmerunt. Hæc erant felicia tempora! Ita mihi male eveniat! Spect. D. Cincinnate, nisi centerarium foeni 7 florenis in ære parato vendidi. Hæc fuerunt tempora! tum vini anni 83 plus hausi, quam nunc cerevisiæ. Postmodum charta nobis data est, quæ pecuniam repræsentaret. Id nos tanquam thesaurum accepimus, & velut Capitale reposuimus. Heu! quam beata tempora!

Sed o bone Deus! brevi solum tempore ista durarunt. Nostris homines retro gressi sunt, quod noster Ludimagister ex novis ita expliuit, ut diceret eos retro se vertisse, quo melius possent operari. Proh! hic retrogradus motus tam diu duravit, donec nos ejus temporis hostis obrueret. Abhinc misera nos sors mansit. Contributionum, illocationis militum, &, ut vocant, requisitionum, vexationumque nullus finis erat. Nostris Patres Patriæ perinde ea providentia erant, ut se retro darent. Tunc ego mente versabam fatale illud *emigrationis* vocabulum, ne

poter
nomi
hic,
re c

rupis
germ
inde
Regi
pend
neba
nibus
imo
debit
bita
bita
omni
offici
ticula
sunt.
vat?
rei p
catur
onus

tantu
vend
hic a
tione
rent,
cutio
jam
adhu

poteram concipere, quomodo hæc gallica denominatio in Germaniam immigraverit, atque hic, ita dicendo, tam brevi tempore jure civitatis donata fuerit.

Jam prius quam hostis in Germaniam irrupisset, regimina vires suas, quo ab ipsis germanis vicinis tuta essent, debilitare debebant; inde jam multa debita in regna tracta sunt. Regimen provinciæ debebat certam summam pendere, officia, & civitates eadem sors manebat, pagi & communitates, quæ requisitionibus gravatæ fuere, idem onus ferre debebant; imo rusticus, quo requisitionibus satisfaceret, debitis se involvere debuit. Hinc ingentia debita exstiterunt; & sunt loca, quæ majora debita quam proprietates habent. Nunc hæc omnia rependenda sunt. Debita regiminis, officiorum, & civitatum, locorumque & particularia singulorum pedetentim expungenda sunt. Et quem hæc expunctio maxime gravat? — In provincia uti Germania est, quæ rei pastoriciæ, & agriculturæ vacat, & mercaturam non nisi casualiter exercet, totum onus debiti ferendi rusticum manet.

Bone Deus! quot anni effluent, donec tantum aratum fuerit, quod his debitis solvendis sufficiat? Filii nepotesque nostri satis hic ad agendum habebunt, & mutua traditione historiam infelicis hujus belli sibi referent, ærumnarum belli moniti, quoties executio pagum inviserit. — Et utinam ubique jam tandem pax esset! Nos miseri rustici adhuc semper in novis legimus, Copias hinc

inde moveri, Anglos (qui passim divites esse creduntur) bellum adhuc mari continuare, omnia navigia rapere, eosque facile occupatis bellicis navibus Potentiarum maritimarum, vel aliquot Fregattis bellum perpetuum toti orbi inferre posse. Deus avertat istud! quid deinde e mundo fieret?

O quanta rusticum tolerare oportet! Ille spatio anni suum laborem, suam sementem, & suam Capitale terræ locare debet, nec nisi messe peracta censum repetere potest. Quot dies pleni curarum ei agendi! Omnes ejus facultates procellis, tempestatibus, eluvioni siccitati, grandini, aliisque incommodis temporis obnoxie sunt. Ac tandem si quis sterilis annus incidat, & aucta vectigalia pendi debent, unde horum copia fieri poterit? At hæc adhuc omnia tolerabilia viderentur, si modo pax ubique dominaretur.

Sed laus Deo, gratesque! Fundata spes nobis adest fore, ut voti damnemur. Duo Cæsares Erfurti simul erant; & quamvis adhuc obscurum sit, quid illi definiverint, tamen politici ephemeridum scriptores videntur in sequentium duorum punctorum notitiam pervenisse: Utrique Cæsari voluntas est pacem universalem restabiliendi; quo benefico fine ut pqtirentur, duos cursores, alterum galli-
 2) Utrique Cæsari sanctum est, tranquillitatem

in Germania non modo revehere, sed e iam firmare (qua re nihil iucundius cogitari potest). Reipsa Principibus rhenanæ confœderationis integrum est, obtingentem militiam per respectiva præsidia distribuere. Ac jam certa res videtur esse, Borussiae erga inter-mediationem Russiae notabilem deminutionem *Contributionis Galliae debitæ* accepissæ.

Ante abitum Erfurto Sua Maj. Imp. Russiae Principi a Vicenza ordinem S. Annæ, Princ. Beneventano, & Neocomensi stellam adamantibus inductam ejusdem ordinis, & D. Bethmann russo generali Consuli penes rhenanam confœderationem adamantibus exornatam crucem ord. S. Annæ donavit.

Sua Maj. Imp. Napoleon Suae Excel. D. Comiti a Tolstoj, ejusque fratri Mareschallo aulæ, magnam aquilam honoris legionis; crucem autem ejusdem honoris legionis Domino Wieland, & Göthe impertitus est.

D. Rheinhard est gallicus Minister Cassellis, & D. Bignon in eadem qualitate Carlsruhæ nominatus.

Princeps hereditarius ab Homburg ab Imperatore Galliae, qua Protectore rhenanæ confœderationis facultatem accepit in servitio militari Austriaco permanendi.

Refertur Jena, Deputationi ejatis Universitatis obtigisse honorem, ut Imperatori Gallico, priusquam campum illum famigeratum inviseret, exhiberetur. Imperator multum loquebatur de statu urbis, universitatis, & Catholica Ecclesia: promisitque fore, ut dam-

num quod igne, depopulatione, & longiori
Lasarathi commoratione urbi illatum esset,
compensetur; non secus etiam Catholicam
Parochiam pro perpetuo se dotaturam esse
pollicita es Sua Maj. Quorum omnium intuitu
dicitur Idem Imperator summam 1,600,000
Franc. resolvisse.

Ad iter gallici Imperatoris adhuc sequen-
tia sunt addenda: Francofurti 16. Oct. Omnes
adparatus ad excipiendam Suam Maj. Imperat.
& Regem Napoleonem irriti fuere. Monarcha
heri circa 9 hor. vespertinam alia porta intra-
vit, quam fuerit expectatus, moxque, solum
mutatis, ad domum postalem equis, iter suum
Moguntiam prosecutus est. — Quo etiam Sua
Celsitudo Regia Magnus Princeps Hassiæ heri
mane discesserat.

Mannheim. 17. Oct. Heri circiter hora 11
antem, Sua Maj. Imp. & Rex Napoleon in
suo reditu Erfurto per Ogersheim in nostra vi-
cinita ultra Rhenum perrexit, postquam post 6
horam Moguntia, ubi noctem egit, movisset.

Hodie mane decimum Cæs. gallicum Hu-
sarorum regimen hac per Rhenum trajecit.

Nunciis Bajonnâ d. 8. Oct. significatur,
Mareschallum Ney 4ta cum suis copiis Vico-
riam revertisse, suamque positionem ad Lo-
gronno fixisse. Gen. Merlin cum numero
præsidio militum in Bilbao remansit. Die 5.
Oct. Rex in militari principali hospicio Mare-
schalli Bessieres ad Armignon, horæ spatio
a citeriore Iberi ripa, jentaculum sumsit. Sua
Maj. propositum erat, totam excubiatum ex-

teriorum lineam inspiciendi. Excubiæ ex dextra ala sub Generale Lasalle extendunt se usque Pancorbo. Octava Dimachæ Suae Catholicæ Maj. Neapoli venientes, & 6. 36 regimen lineale huc adpulere. Posterius illico iter suum in Hispaniam prosecutum est. Inter 15. & 20. currentis hic magnæ Copiæ expectantur. Omnia jam ad eas excipiendas adparata sunt: Occasione expeditionis adversus Bilbao, 150 viri ex Prætorianis Magni Principatus Bergensis, 4000 Insurgentes, qui in monte quodam se vallo munierant, in fugam egerunt. Explorationes usque Balmaseda 6 horis a Bilbao se extendunt. Nonnulli Insurgentes, qui ibi erant, rejecti sunt, dispersique. (Nunciis ex aliis fontibus haustis, qui tamen certitudinem nondum pariunt, perlatum est, Marchionem de la Romana cum copiis, quas in Dania ad suas partes pertraxerat, hispanicis, in St. Ander excendisse.)

Parisiis (14. Oct.) Monitor hodie duo Senatus consulta tertia currentis nota reddit, quibus nova Corporis legislativi membra pro Departamentis, Appenninorum, Genua; Marengo, Montenotte, Morbihan, & Orne nominantur.

Amstelodamo (12. Oct.) Corpus legislativum quod vi Constitutionis mense Novemb. convenit, est a Sua Maj. nostro Rege in 15. Nov. per Decretum convocatum.

B I O G R A P H I A.

Cincinnatus (Luc Quinctius) inter Romanos sua ætate summus vir, ea adversa usus est fortuna, ut filius ejus Cæso Quincti-

us, vir bello clarissimus, a Tribunis pl. accusaretur, multaque afficeretur, quæ totam patris substantiam exhausit adeo, ut præter exiguum agrum rusticanum, quem Cincinnatus suis manibus colere debebat, nihil ei remanserit. Forte, dum sordida veste indutus aratrum duceret, nunciatum ei erat, unanimiti sententia omnium Consulem eum electum, legatosque cum insignibus jam in via esse. Cincinnatus quidem hanc dignitatem sibi oblatam non repudiavit; querebatur tamen agrum suum incultum & neglectum fore, nec scire se, unde panem, quo hyeme provideretur, petiturus esset. Consulatum gessit in eos adeo ipsos lenem, qui ei hujus paupertatis causa fuerant. Cum Consul Minutius errore quodam ab Aequis & Volscis undique cinctus teneretur, a Cincinnato anno ante Chr. nat. 458. Dictatore creato, feliciter quidem expeditus, sed etiam ob malam agendi rationem illico dimissus est. Fere 20 annis post hæc Spurius Melius perniciosam evertendi Rempublicam consilia animo agitabat, quæ res in causa erat, ut Cincinnatus 80 anno ætatis Dictator iterum crearetur. Hac dignitate ornatus tranquilla omnia iterum fecit, sed Respublica e periculo liberata, semper ad suum rusticum prædiolum, pristinamque vitæ rationem revertebatur.

N
Nr

F

Elysin

Holla

I
ta

land

men

vinc

xia,

mis

ret,

indu

mar

Ang

qua

Nih

me

nef

mo

Ho

ba

po

iat